



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Tertia Aduentus, Euangelium Matth. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMIN. III.

DOMINICA TERTIA AD
uentus, Euangelium
Matth. II.

CVM AVDISSET IOANNES IN
carcere facta Christi, missis duobus
discipulis suis, dixit illi: Tu es ille
qui uenturus est, an alterum expecta-
mus? Et respondens Iesus dixit illis: Ite
& renunciate Ioanni ea quæ auditis & ui-
detis. Cæci uisum recipiunt, & claudi am-
bulant, leprosi mundantur, & surdi au-
diunt, mortui excitantur & pauperes læ-
tum accipiunt euangelij nuncium. Et bea-
tus est quisquis nō fuerit offensus in me.
Euntibus autem illis, cœpit Iesus dicere
turbis de Ioanne. Quid existis in deser-
tum ut uideretis? Num arundinem, quæ
agitatur à uento? Age, quid existis ut ui-
deretis? Num hominem mollibus uesti-
bus amictum? Ecce qui mollia gestant in
domibus regum sunt. At quid existis ui-
dere? Num prophetam? Certe dico uo-
bis & excellentiorem propheta. Hic
est

*Opera
Christi
in deserto
sunt ip-
sum no-
strum*

est enim de quo scriptum est. *mal. 3*
Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparaturus est uiam tuam ante te.

Quincz sunt loci.

- I Testimonia doctrinæ.
- II De scandalo crucis, & specie Christi & ecclesiæ.
- III De officio & constantia concionatoris.
- IIII De officio Ioannis, & collatione Ioannis & Christi.
- V De discrimine ueteris ac noui testamenti. Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem.

DE PRIMO.

MIRACULA perpetua totius Ecclesiæ De mi
 intuenta sunt, Et quanquam apud gentes *racibus*
 acciderunt interdum quedam inusitata,
 tamen nunquam extra Ecclesiam facta est resuscitatio *Resuscitatio*
 mortuorum, Item miracula Ethnica nunquam *tano,*
 fuerunt seruationes uniuersales, sicut seruatio Nohe, *morfu*
 aut eductio ex Aegypto, aut perpetua conseruatio *orume*
 ecclesiæ inter tantas procellas. Allegat igitur Chri- *mirac*
 stus miracula, ut cõfirmaret auditores. Et quia pro- *uilibis*

pheta chry co
firmantur
auditores

Esai 35.

Miracula
Chri in se
mir in op
Messia

DOMINICA III.

pheta prädixerant, Messiam hæc miracula facturum esse, admonet ut agnoscant Messiam, & sciant tempus iam adesse, de quo dixerant Prophetæ.

DE SECUNDO.

De Scan
dalo

BEATVS qui in me non fuerit scandaliza- tus. Offendit omnes sapientes infirma species Christi. Et Iudæi longe aliam imaginatio- nem de regno Messie habebant. Ideo admonet nos, ne offendamur hac infirma specie, & docet oppone- re uera testimonia, scilicet, uerbi & miraculo- rum.

De eccle-
sia

Est & similis ecclesie species, quæ est infirma, ærumnosa, dissipata. Ideo hic dicit, pauperibus euan- gelizatur, significans qualis sit ecclesia.

Recenset autem & hoc inter miracula, quòd ec- clesia sit talis coetus. Nam & Prophetæ inter signa Messie & miracula hæc posuerunt, & Maria in- quit: Exaltauit humiles. Magnum enim miraculum est, quod colligit Deus ecclesiam ex miseris, abiectis credentibus, & hanc opponit potentie Diaboli & mundi, & glorificat eam magnis operibus, & con- seruat: Sicut Psalmus inquit: Mirificat Deus san- ctum suum. Interim uerò pereunt Monarchæ & po- tentes.

Præterea ipsi credentes intelligunt hoc esse singu- lare & admirandum opus Dei, quod Deus exaudit, respicit

respicit, uiuificat adflictos, quod in sola ecclesia doce-
tur, & omnibus hominibus & omnibus gentibus
ignotum est ignaris euangelij.

DE TERTIO.

De con-

CONstantia Ioannis ornatur egregio enco-
mio, quam uult exemplo esse docentibus in
ecclesia. **E**contra aularum sapientia est, infle-
tere se ad nauis latus felicius. **E**t omnibus etatibus
accidit, ut aula uoluerint attemperari religiones ad
suas utilitates, & inueniuntur leuia ingenia, quae ser-
uiunt Principum cupiditatibus. **S**ed hortatur omnes
doctores **C**hristus, ut **I**oannis constantiam imiten-
tur.

DE QVARTO.

De officio

DE officio Ioannis, & collatione Christi, **N**on
surrexit maior, scilicet, in officio. **E**t si enim
Propheta fuerunt gubernatores politici, &
repugnatores ecclesiae, & doctores euangelij, tamen
non inchoauerunt totum ministerium noui testamen-
ti, uidelicet, praedicationem euangelij & baptismum,
non ostenderunt praesentem Christum, non inchoaue-
runt uniuersalem uocationem gentium.

Quod autem addit Christus, **Q**ui minor est in
regno caelorum, maior est eo, hoc dictum de persona
Christi intelligo, qui uocat sese minorem, quia reue-

DOMINICA III.

*Christi
humili-
tas.* **ra** Christus uera cordis humilitate uincit omnes an-
gelos & homines, **C**um enim perfectè norit patrem,
perfectiss. tribuit ei summum honorem, & se infra
cum abijcit longius, quàm ulli angeli aut homines.
Arbitror etiam propter tantam humilitatem à su-
perbis angelis despectum fuisse, & hoc peccato ange-
los lapsos esse.

*Humi-
litas
Christi
imita-
mur.* **De**inde in passione Christus reuera etiam depres-
sus est infra omnes homines, sicut **E**saias inquit: Vi-
dimus eum despectum, & nouissimum uirorum. Item,
Ego sum uermis & non homo. Hanc humilitatem
Christi consideremus, & discamus deprimere super-
biam nostram, admirationem nostri, fiduciam no-
stri, contemptum aliorum, impatientiam, securitatem,
cupiditatem uindictæ, & similes affectus, qui oriun-
tur à superbia, sicut ipse dicit: Discite à me, quia mi-
tis sum, & humilis corde.

*Christi
ma
ior
ne
est
officiu* **D**icit autem Christus se maiorem esse, scilicet,
ma persona & officio, quia Christus non est tantum do-
ior Ioanctor, sicut Ioannes, sed ipse redemptor, sanctificator,
ne pso uiuificator, cuius fiducia accipimus remissionem pec-
na scilicetorum, spiritum sanctum & uitam eternam. **I**deo
est & ait Ioannes: Ego baptizo aqua, id est, ministerio,
officiu. Christus baptizabit spiritu sancto, id est, dabit re-
missionem peccatorum, spiritum sanctum & uitam
eternam.

DE

ADVENTVS.

DE QVINTO.

LEX & Propheta usq; ad Ioannem, id est, po-
litia Moisi & ceremonie desinunt in Ioanne.

Et hoc dictum tanquam Regula teneatur, con- *Abroga*
firmans abrogationem politiae Moisi & ceremonia *no poli*
rum, postea sequitur ministerium spirituale Euan- *nia Moisi*
gelij, quod Ioannes inchoat, arguit peccata & pre- *& cromo*
dicat remissionem peccatorum propter agnum Dei & c. *in arum*

Si quis obijciat: Si lex usq; ad Ioannem: Ergo
postea non est praedicanda. Respondeo breuiter ad
antecedens. Dictum loquitur de politia Moisi, &
non de ministerio spirituali, quod est omnium tem-
porum usq; ad uitam aeternam. Manet enim uox Dei
arguens peccata, quae est aeterna lex, & additur uox
Euangelij de remissione peccatorum.

Lex ma
net ar
que ns
peccata

Regnum caelorum ui inuaditur, & uiolenti ra-
piunt illud. Id est, non ignaui, non timidi, non cedentes
nimis, aut terroribus Diaboli, Non enim potest re- *Certant*
gnum caelorum obtineri, sine ueris certaminibus, pu- *pro no*
blicis & priuatis. Adolescentes dimicent cum suis cupi- *no dy*
ditatibus, sciant esse opus aliqua contentione ad do-
mandas cupiditates. Senes dimicent cum persecuto-
ribus Euangelij, cum infidelitate & alijs morsibus
Diaboli. Hoc docet dictum, uiolenti rapiunt, scilicet
certantes & preliantes aduersus Diabolum.

C DOMI